



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censuris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

3 Famuli artificum in ferijs laborantes peccant, nisi necessitas excuset.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

TITVLVS III.

De Ferijs.

S V M M A R I V M.

- 1 Festum ob paruitatem, aut necessitatem operæ non violatur.
- 2 Missa ab audienda quæ distantia, & quos excuset.
- 3 Famuli artificum in ferijs laborantes peccant, nisi necessitates excuset.
- 4 Missa ab audienda excusantur agafones, qui vt minus impendant, longe se recipiunt.
- 5 Missam vt audiant pastores ouium, Dominus eorum curare debet.
- 6 Scribendi actio, quando opus seruale sit.

DECISIO I.

Ex cons. 1. in vtriusque.

- 1 Licet festum ob paruitatem materiæ non violetur, & necessitas magna etiam a festo colendo excuset si tamen aliqua fiant quæ communiter a Magistratibus Ecclesiasticis prohibentur, a peccato omnino transgressores immunes non censentur; quamuis habita ratione paruitatis materiæ, & necessitatis a mortali peccato excusari possint.

DECISIO II.

Ex cons. 2. alias 3.

- 2 Agricolarum locantes operas suas mensuras pro certis locis remotis ab ecclesijs circiter tria, aut quatuor miliaria, quamuis aliquando, ratione ætatum, si admodum senes sint, vel temporum si pluuia sit in aliqua saltem abundantia, aut inundationes, & loca periculosa, & lurosa, fuerint, ab audienda Missa diebus sacris excusantur, si tamen robusti sunt, nec aliud vrgens impedimentum adest, ex eo solum quod tribus miliaribus, aut circiter a loco, vbi Missa audienda est, distant, nullatenus sunt excusandi.

DECISIO III.

Ex cons. 2. alias 3.

- 3 Famuli artificum seruientes eis aliquot annis, vt eorum artes discant, si coacti a suis Dominis & magistris seruilia opera faciant, non proponunt discedere ab eis nolentibus eos aliter docere, peccant diebus festis laborando nisi necessitas artificum magna, aut propria excuset, etiam audito sacro; multoque magis si sacrum audire omittant; Nec a Confessarijs suis absolui possunt, nisi deinceps desistere firmiter proponant.

DECISIO IV.

Ex cons. 4. in vtriusque.

- 4 Agafones, seu agentes equos, ac miliones pauperes extra vrbes & castra commorantes in hospitij & locis plurimum distantibus ab ecclesijs, & in quibus minoris emuntur necessaria ab audienda Missa excusantur, si principaliter huiusmodi loca, & diuerforia, vt minus impendant & non vt ab auditione Missæ excusentur, adeant ex Na. in Man. c. 13. & ca. 22. nu. 3.

DECISIO V.

Ex cons. 5. in vtriusque.

- 5 Pastores ouium longe ab ecclesijs constituti, si possunt, ita inter se conuenite debent, vt vel maior pars, vel alii qui saltem Missas audiant, nec illis seruire debent, qui custodes ad id necessarios locare nolunt; cum vt Missas audiant pastores ouium Domini eorum curare teneantur.

DECISIO VI.

Ex cons. 6. in Nouis deest in antiquis.

- 6 Vm opus seruale, opus manuarium sic magis propriè seruis conueniens quam ijs, quibus seruitur, ex Na. in Man. c. 13. num. 3. quamuis scribendi actio, prout est opus per animi prudentiam, id est, prout significat legem condere, aut librum componere, opus seruale non sit, quando

ramen ex vna scriptura alia similis transcribitur, actio seruilis est. Non tamen ex eo solum opus seruale aliquid efficitur, quod ob lucrum, vel mercedè fiat, ita Ca. 2. q. 122. art. 4. Nauar. in Man. cap. 13. num. 5. & 12. Quando autem in die festo conceditur alicui facultas laborandi, ea solum opera concedi censentur, quæ vir bonus & prudens in spectis circumstantijs personarum, causarum, siue occasionum generis operum, & alijs arbitrabitur. Arg. l. 1. ff. de iure delib. & c. de causis, de offic. deleg. Ita vt maius tempus ad aliquid consuegendum, vel ad barbas radendas, & capillos circuncidendos concedi poterit, quam ad fodiendum in agro vel potandam vineam.

TITVLVS IV.

De causa possessionis.

S V M M A R I V M.

- 1 Possessio beneficij renunciati ipso iure non perditur, & sic spoliatus potest agere de spolio.

DECISIO I.

Ex cons. unico. alias 1. de offic. iudic. ordin.

- 1 Possessio beneficij per promotionem, vel renunciationem spontaneam ipso iure non perditur, donec relinquat possessionem, vel ab ea legitime expellatur, vnde gesta interim a possessore valent, adeo, quod si spoliatur de spolio contra spoliante[m] iuste agere possit, ita Inn. in ca. super hoc de renunciat.

TITVLVS V.

De Restitutione spoliatorum.

S V M M A R I V M.

- 1 Legis humane mutatio vitanda, nisi eius utilitas præponderet.

DECISIO I.

Ex cons. 1. in vtriusque.

- 1 Quamuis omnia, quæ sunt iuris humani Summus Pontifex mutare possit & mutatio valeret, licet aliquando fieri non deberet; ea. Quæ ecclesia, de constit. a culpa tamen non excusatur, si absque iusta causa eam faceret. Quia licet consuetudo, & lex humana iusta de causa mutari possit, non tamen absque illa; sed nec cum illa, etiam, cum occurrit aliquid melius, nisi illud præponderaret, & maioris momenti esset Reipublice quam malum, quod ex immutatione sequeretur: c. r. d. d. c. dist. 12. & S. Tho. 1. 2. q. 97. art. 2. præsertim cum ex mutatione illius ad alicuius præiudicium, & bonorum spoliacionem procederetur.

TITVLVS VI.

Vt lite pendente nihil innouetur.

S V M M A R I V M.

- 1 Monasterium S. Trinitatis Minimorum de vrbe, a quo factum datum sit & a quibus regendum sit.

DECISIO I.

Ex cons. unico in antiquis, alias consil. 9. de constit. in Nouis.

- 1 Monasterium S. Trinitatis Minimorum in Monte Pinicio in vrbe Romana, a Rege Francorum ita fundatum est, & ab ipsomet S. Francisco de Paula eiusdem ordinis institutore hoc priuilegio donatum, vt semper per fratres Gallicæ nationis, quam diu inueniantur, qui inibi resident, & cultui diuino insistere voluerint, regatur; sin autem non reperiantur Galli illud inhabitare volentes, tunc & per alios regi, & inhabitari poterit; pariterque si locus sup-